

di bello caperat expugnare posset. De eodem circumfer-  
tur egregia Alphonfi Dauali Vastij summi Ducis, & Me-  
diolani gubernatoris sententia. Inspectis quippè studio-  
sè, ac expensis maturè illius partibus, ad socios conuersus.  
*Mallem, inquit huius armamentarij dominus, quam optimarum  
quinque Italie Urbium dominus esse. Quo nihil ab homine  
belli, & bellicarum rerum peritissimo dici exaggeratiùs potuit.  
Adijcio tertium ac idoneum Ducis Rhoani clari & bellica, &  
aulica laude Principis dictum. Perlustrata quippè Vrbe cùm  
Armamentarium exactè inspexisset admirabundi more pau-  
lum conticuit, ac demùm: *Supersunt, inquit adhuc Orbis mi-  
racula, quoniam hoc Armamentarium Octauum esse potest, ac  
eò mirabilius, quod alia ad inanem vel pompam, vel super-  
stitionem comparata fuerunt, hoc cùm amplitudine nulli cedat, ad  
utilitatem & presidium Reipublicæ conducit. Itaque alia pe-  
rierunt. Hoc perennabit.* Hæc Rhoanus.*

### E P I G R A M M A.

*Quod genus armorum, quæ ve horrida machina Belli  
Sive geras terra prælia; siue mari:  
Aenea quæ moles, quæ flammea ab igne procella,  
Qui tormentosi pulueris usus atrox?  
Quæ non foeta suis Armamentaria tectis  
Concipiant, varias inde datura neces.  
Quicquid apud Liparen ars ingeniosa Cyclopum,  
Quicquid Thelchinum vis inimica tulit  
Extat in exitium Turcæ, Patriæque salutem,  
Præsidium Fidei, Religionis opem.  
Arma placent Vrbi, ferrum preponitur auro:  
Sparguntur Venetis; non cumulantur, opes.  
Thesaurus alibi queras, hic arma recondas:  
Armis Vrbs Venetum viscera foeta gerit.  
Si cor ibi, thesaurus ubi est: dum viscera ferro  
Armantur, Venetum, sunt ubi tela, cor est.*